



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

3 Benedictio est duplex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

tionis nomen non semper idem significat, sed quandoque enim significat adulationem ad Roman. cap. 16. qui per pulchros sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, aliquando maledictionem per antiphrasim, Job. cap. 1. Ne benedixerint filij mei, hoc est maledixerint, vel ingrati fuerint, & cap. 2. Benedic. Deo, & morere aliquando eleemosynam spiritualem Proverb. cap. 11. anima quæ benedicit, impinguabitur, & ad Corinth. qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, nonnunquam laudem, Psalm. 102. Benedic anima mea Domino & omnia, quæ intra me sunt, &c. sæpius beneficiorum collationem, vel preceptionem: Psalm. 20. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis &c. & Genes. 12. Benedicam benedicientibus te, &c. denique fere semper benedictio significat optativam, vel imperativam collationem bonorum, vel enunciativam laudem virtutum, ac beneficiorum qua ratione sumpto benedictionibus nomine, ea definitur rectè, & quoddam sit sanctificationis, & gratiarum votiva collatio Sanc. Ambros. l. de benedict. Patriarch. cap. 2.

3) Benedictio & principaliter est duplex secundum S. Thom. in 4. sent. d. 19. qu. 1. art. 2. una enim fit in virtute sanctitatis ab omnibus, in quibus per gratiam Christi inhabitat, & hoc solet expectari à Sanctis hominibus tantum, quibus à Deo virtus sanctificandi tribuitur; altera, qua virtute ordinis sacri homo benedicit, nec ministri Sanctitatem requirit, quæ procedit, & effectum obtinet ex meritis Christi, Marfil Archiep. Salernitanus Hidragiolog. sec. 2. cap. 1. num. 51 & 52.

4) Benedictionis autem usus est & antiquus, quia fuit in veteri testamento benedictus Abraham Deo excelso, & det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam, qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur: Gen. cap. 14. & 6. 27. Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ, benedixitque Jacob filijs Joseph, eo. cap. 28. & 48. quæ, postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis, cap. 39. eolib. ut benedicam panibus tuis & aquis. Exod. cap. 23. & cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias vestras ad sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis altero die sabbati, & sanctificabit illum: Levit. cap. 23. primitiva ciborum vestrorum dabitur sacerdoti, ut reponat benedictionem domibus vestris, Ezech. cap. 44. & Marfil. d. Hidragiolog. sec. 3. cap. 7. num. 29. Benedictionis verò nomine & omnia felicia, & bona à Deo nobis concessa veniunt, ut super populum tuum benedictio tua. Psalm. 3.

De benedictione, qua homo homini benedicit, sive paterna, sive sacerdotali, aus quacunque potestate fiat, pluribus in sacrarum litterarum locis habetur ut benediximus vobis de domo Domini: Psalm. 117. Aaron elevans coram Domino, sicut præceperat Moyses, & extendens manum ad populum benedixit, Levit. cap. 9. qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus. Num. 24 Joachim autem summus sacerdos de Hierusalem venit in Betuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith, quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce dicentes. Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israël tu beneficentia populi nostri Judith, cap. 15.

Bene-